DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ. DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XIV. MARTII.

M. FRANCISCO BOVIONIER, Doctore Medico, moderatore.

An curandis corporibus Diæta quadragesimalis. 1019

CONVENIENS victus ratio temperamento æstimanda: suum quidem cuique; attamen commune est quoddam omnium, quod & anni tempestas, & locorum situs, & earumdem rerum consuetudo efficiunt. Non vnum vnius corporis, variant partes etiam sine vlla ægritudine: quodcumque fit fulcitur aut euertitur conuenienti diæta. Hac vna priores Medici & sanitatem tuebantur & reuocabant. Certe hominum vitio factum est, vt opus fuerit medicamentis: an non & ab ingluuie tanta Chirurgiæ necessitas quantam videmus? Equidem frugi victus occurrit copiæ & impuritati sanguinis, stringit & suo loco partes ne vel laxentur vel prolabantur. Quam certa frugi hominibus sanitas, nisi parentum culpa! quamquam & miseram paternorum morborum hereditatem attentiores ad victum sæpissime caducam esse sinunt, neque cernunt; at nunquam magis necessaria in victu frugalitas, quam cum redundat humor in corporibus aut putridus aut proximus putredini.

VERNO tempore Solis accessu aër intepescit: subit illius vis intima corporis, laxatis ipsius spiraculis, quæ hyberno adstricta frigore aliquam intestinæ putredini occasionem dederant: ea si leuior, æstu sanguinem concitat, vnde αἵματος ῥύσεις, tum ingrauescente malo extostis mirifice humoribus τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικὰ exoriuntur: quod si viuidior calor naturalis validis vigeat in visceribus, vocante aëris tepore, humores in extima corporis prodeunt, vnde λέπραι καὶ λειχῆνες, καὶ ἐξανθήσεις ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικὰ, pro varia humorum qui in corpore existunt & partium conditione. Multum quidem humoris transpiratione absumitur, dum tepet aër, eodem inclementiore, clauso vndiquaque corpore congeritur plurimus, qui paulo momento impurus fit; eum tempestiue euacuare & purgare antequam morbos pepererit, consultissimi artificis est, sed Natura, si sui iuris fuerit, Medici consilium occupat; an idem eximius potiori Naturæ rem mandat, de sola diæta sollicitus?

DIÆTA quadragesimalis desinente hyeme & appetente vere instituitur, tenuis est cum semel de die cibus sumitur, nulla, si rite seruetur, succi vbertate præditus, in ea ξηροφαγία primas tenet, certe olim tenuit, nunc perditis moribus, an nimia Medicorum adulatione quasi lue? profligata est, & vix à pauperibus retinetur; namque & πολυφαγιῶν & variorum ciborum venia iam impetrata est; verumtamen vt nunc viuitur, bis de die cibus sumitur, sed longe parcior quam reliquo anni tempore; olera, fruges, legumina, fructus adhibentur, pisces, salsamenta, mel, lac & cætera quæ ex eo concinnantur, quæ quidem alendo corpori sufficiunt, & tam bene alendo, quam opus est; neque tamen eadem tantum in se habent succi, quantum terrestrium animalium volatiliumque carnes suppeditant; atque idcirco facilius à calore natiuo conficiuntur, tum ergo ille alacriter, leuioribus quasi districtus negotiis lustrat corpus vniuersum, suoque marte corruptos humores excoquit atque inutiles eorum reliquias διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων amandat: quin etiam aliquid habet cathartici ipsa diæta? olera enim, leguminum decoctum, salsamenta, pruna, passulæ, caricæ, & multa eiusmodi κοιλίας λυσίαν præstant, quæ ad tuendam valetudinem tunc temporis plurimum facit.

NON vna esse debet quadragesimalis victus ratio: nam sanorum & ægrorum plurima genera sunt, suus cuique cibus à Medico imperandus, ætas spectanda est & viuendi consuetudo, explorandus quoque & status corporis; leguminũ decoctum non adeo crassum cum capparibus vel omphacio & eluellis, nihil noxæ sanis omnibus affert; at ipsa, fossorum visceribus magis apta: salsamenta quoque bajulis & operariis relinquenda: pueris, mulieribus, honestumque otium carpentibus, olera, fructus, ptissanaria oryzæ, hordei, pisces melioris succi & concoctu faciliores vndecumque petantur, passulæ, caricæ, amygdalæ, nucum omnia genera, vinum omnibus sed paucum vtile: quid ægri? nonne etiam cum febricitant in hac diæta sua ῥοφήματα reperiunt, ptisanaria liquidiora, refrigerandis alendisque vnà corporibus peridonea? quid si morbis emergant? nonne piscibus citius reficiuntur & lacte? quid magis tardat conualescentes ægros, quam plenior victus, inde tot recidiuæ. Lacte asinino ὀλιγοτροφίᾳ deficientes mortales sustinemus & erigimus: nocet quidem pluribus sanguinis abundantia, plusque operis sagacem Medicum ei emendando aut subducendo, quam suppeditando impendere verum est.

MEDICVS obesitate corporis bonam valetudinem minime laudat, sed agendi facultate & alacritate; hanc quadragesimalis diæta parit conuenientissimo tempore imperata; quippe nisi illa corpori caueretur, aut in morbos incurrendũ foret, aut in Medicos: quæ duplex maciei caussa est. Scilicet ea tempestate luxuriãt in corpore succi non sine aliqua putredinis labe, qui eodem tenore victus & redundarent nimiopere, & corrumperentur magis: namque deteriores tunc quoque cæterarum animantium, quæ esui sunt, carnes perhibentur. Quadragesimalis diæta naturam sibi reddit, morbos abigit per se, & remediorum vices implet; at qui se quadragesimalibus cibis ingurgitant, nec quadragesimali diæta nec eiusdem beneficiis vtuntur. Nam fræni gutturis (vt ille ait) temperata relaxatione & cõstrictione tenendi sunt, & cum salus sit causa edendi, qui quadragesimali diæta, gaudet, cõtentus sit eo, quod satis est moderationi valetudinis, nec salutis obtentu obumbret intemperantiæ negotium, rapiaturque, extra metas necessitatis. Etenim abundantior quadragesimalis cibus pessimus est; Videlicet salutarium etiam medicamentorũ ingens vis corpora venenat & perdit; deinde diæta quadragesimalis esse desinit quoties fit ἁδροτέρη, σύμμετρος, cum eiusmodi est, tum corpora recreat, & ab omni pene morbo vindicat.

Ergo curandis corporibus Diæta quadragesimalis.

Proponebat Lutetiæ ANTHONIVS DE SARTE, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LII.